

XIII.

Declaratio suspensionis in Synodo habita contra Clericos Concubinarios & Simoniacos.

Gregorius Episcopus Servus Servorum Dei, venerabili Sichardo Fratri & Coepiscopo Aquilejensi, salutem & apostolicam benedictionem.

Ex Archiep. Vatis.

Fraternitatis tuae prudentiam latere non debet, neque tui Ordinis dignitatem ignorare oportet, quae statuta, quaque decreta in peracto Concilio praeiterit Quadragesimae; consilio Confratrum nostrorum, ac totius Conventus assensu, sequentes sanctorum Patrum auctoritatem statuimus. Decrevimus enim, quod si quis eorum ordinem, qui sacris Altaribus administrant, Presbyter scilicet, Diaconus, & Subdiaconus uxorem vel concubinam habet, nisi illis omnino dimissis dignam poenitentiam agant, sacris Altaribus penitus administrare desistant; nec aliquo Ecclesiae beneficio ulterius potiantur, sive postis fruantur. Qui vero simoniace, videlicet per interventum pecuniae sunt promoti, ut absque ulla spe recuperationis deponantur, apostolica censura statuimus. Monemus itaque te, dilectissime Frater & Coepiscope, imo apostolica tibi auctoritate praecipiendo mandamus, ut tu in Dicecesi tua Simoniacos omnino deponas, & fornicatoribus Clericis, nisi a fornicatione abstinerint praefata conditione, officium & beneficium penitus interdicas: & suffraganeos tuos sive literis tuis seu viva voce ad te convocatos, ut idem faciant, summa cum diligentia moneas. Data Romae decimo Kalendas Aprilis Indictione Tertiadecima.

In Sacris Ordinibus constituti uxorem aut concubinam non dimittentes sacro ministerio, & beneficiis privandi. Simoniaci ordinati omnino deponendi.

Auctoritatio ad Aquilejensem Patriarcham de huiusmodi Decretis servandis. Dat. die 23. Martii anno Dom. 1075. Pontif. anno II.

XIV.

De servandis in Coloniensi Dicecesi Decretis Romani Concilii super Clericorum castitate, & contra Simoniacos editis.

Gregorius Episcopus Servus Servorum Dei, Ammoni Coloniensi Archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Ex edit. Card. Carafa.

Coloniensis Ecclesiae in Apostolicam Sedem devotio.

Constat, Ecclesiam Coloniensem inter ceteras Regni Theutonici Ecclesias sanctae & Apostolicae Sedis, cui (Deo auctore) deferimus, ita fide, & dilectione, atque obsequiis ab annis prioribus esse devinctam, ut singulari familiaritate, & gratia charitatis apud eam tanquam apud matrem dulcissima filia prepolleat. Quem benevolentiae laudabilis usum, ab antecessoribus nostris ad nos usque deductum, non solum observare, sed etiam ampliare, & augmentare pro rerum opportunitate, & temporum modis omnibus sum paratus. Hinc etiam, charissime Frater, de obedientia tua securior, fiducialius adhortor & moneo, atque communis Domini beati Petri auctoritate praecipio, ut ad castitatem Clericorum praedicandam atque inculcandam juxta Patrum decreta, & auctoritatem Canonum cum Suffraganeis tuis omnibus studiosius accingaris, ut Sponsae Christi, quae maculam nescit, aut rugam

Admonitio ad Coloniensem Archiepiscopum de servandis sacrorum Canonis decretis super castitate Clericorum.

XV.

Ejusdem fere argumenti ad Archiepiscopum Magdeburgensem.

Gregorius Episcopus Servus Servorum Dei Wetzino Magdeburgensi Archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

Ex edit. Card. Carafa.

Spei in Deum vis.

Iosue 4.

Ibid. 10.

Ibid. 6.

Quae Episcopis vigilantia inesse oportet contra pullulantes excessus.

De Clericorum huiusmodi restandis.

Jerem. 2.

Matth. 25.

Timoth. 11.4.

Dat. die 29. Martii anno Domini 1075. Pontif. anno II.

De simoniaco a sacris removendis.

Dat. die 29. Martii anno Domini 1075. Pontif. anno II.

Ex edit. Card. Carafa.

Bambergensis Ecclesiae Romanae specialis filia.

Legimus, Josue, cum in populo Dei Magistro succedens ducatum suscepisset, ita sollicita & vigilanti obedientia exercuisse officium, ut (quod de aliis raro scriptum est) caelesti fretus virtute elementis potentialiter imperaret. Nam & fluvium Jordanem ad transitum exercitus cursum naturalem sistere fecit, & Solem volubili mobilitate in occasum anhelantem, donec adversarios ulcisceretur, quasi alter creator stare precepit. Is etiam muros Hierico septeno perlustrans circuita Sacerdotalium clangore tubarum subruit, & evertit. Vides, charissime frater, quid fervens in divinis causis animus, quid prompta obedientia meruerit. Ad huius similitudinem facti nos, qui populum Christianum insituendi magisterium suscepimus, mentem vigilantem intendere debemus, ne adversariae potestatis muros contra verum Josue rebellantes, & erectos silentio nostro stare, aut roborari patiamur. Quamobrem fraternitati tuae apostolica auctoritate injungimus atque praecipimus, ut ad castitatem clericorum praedicandam, & studiosius inculcandam, buccina Sacerdotali vehementius & instantius instrepas, donec Hierico muros, idest defectionis opera, & sordida libidinis pollutiones, dissipas, & subvertas: sicut ad Prophetam: Postui te hodie super gentes, & super regna, ut evellas, & destruas, & disperdas, & dissipas, & edifies, & plantes. Non nostra decreta (quamquam licenter, si opus esset, possemus) vobis proponimus, sed a sanctis Patribus statuta renovamus, ne nostro silentio servi dominicam pecuniam abscondentis sententiam incurramus. Elabora igitur in ista opportuna, importuna, ut Domus Dei tibi commissa purificetur: quatenus & a nobis de obedientia tua gratias merearis, & tui laboris praemium recepturus in Domini tui gaudium laetus introducearis. Dat. Romae III. Kal. Aprilis Indictione decimatertia.

Sedis Apostolicae auctoritas edendi nova decreta contra novos excessus.

Prov. 11. Jerem. 48.

Eccl. 4. 1. Reg. 15. Greg. lib. 35. cap. 10.

Quid sit obedientia.

Virtus castitatis necessaria Ecclesiasticis gradibus.

Joan. 16.

De simoniaco a sacris removendis.

Dat. die 29. Martii anno Domini 1075. Pontif. anno II.

Ejus.

Itolicae Sedis est munimine contuenda. Unde, quia quidam idiota praedictam Ecclesiam simoniace perfidiae haeretica pravitate subversus invaserat, eam a jugo sacrilegae perversionis illius provida consideratione liberare studuimus. Exeminus quidem gladium Apostolorum Principis Petri, & in eum apostolica auctoritate sententiam promulgavimus. Verum quia in exclusione talium solent Ecclesiae multa damna pati, & bona earum distrahi, & disperdi; dignum duximus imminente damno Ecclesiae praecavere, ac proinde sacrilegis & tyrannis apostolica auctoritate resistere, interdicendo, ne occasione exclusionis illius res Ecclesiae auferre, vel quolibet modo alienare praesumant. Quapropter ex parte Dei & Apostolorum Petri & Pauli interdicimus, ut nulla alicujus dignitatis seu potestatis sive cujuslibet conditionis persona res jam sepe fatae Ecclesiae, maxime thesaurum & praedia, auferre, vel aliquo modo alienare injuste diripiendo praesumant, donec omnipotens Deus per interventum beati Petri Ecclesiae illi idoneum pastorem provideat. Si quis vero contra hujus interdictio- nis paginam venire temptaverit, noverit se gratiam Sancti Petri amittere, & apostolicae animadversionis ultione plectendum. Dat. Romae, XII. Kal. Maji. Indictione Decimatertia.

Ejus Episcopus depositus propter Simoniam.

Decretum pro securitate bonorum ad eam spectantium.

Dat. die 20. Aprilis anno Domini 1075. Pontif. anno II.

XVII.

Confirmatio Sententiae ejusdem.

Gregorius Episcopus Servus Servorum Dei, Clero & Populo Babembergensis Ecclesiae, salutem & apostolicam benedictionem.

Ibid.

Literas, quas Poppo Praepositus Ecclesiae vestrae cum his, qui secum erant decepti, simulata poenitentia falsaque religione Herimanni olim dicti vestri Episcopi, incaute a nobis nimia sub festinatione recedentes ad vos deferre neglexerunt, nostro sigillo insignitas; idcirco vobis ad praesens dirigere dignum duximus, ut in eis manifeste cognoscatis, quae fuerit de jamdicto Pseudoepiscopo nostra voluntas quamque sententiam damnationis iudicio sanctae Apostolicae Sedis in eum promulgavimus; indubitanter credentes, quoniam nullius supplicatio aut fraudolentia ab eadem voluntate, sive sententia ex eo, quod se iudicio sanctae Apostolicae Sedis subtraxit, animum nostrum potuit revocare, vel nunquam Deo auctore mutare valebit. Verum quia sub obtempo religionis, ac mentitae poenitentiae sanctam Babembergensem Ecclesiam, specialem quodammodo sanctae Romanae Ecclesiae filiam, tyrannide conatus est confundere, bonaque illius dilapidare, atque disperdere, priorem sententiam confirmantes, ad cumulum damnationis ejus hoc addimus, ut irrecoverabiliter ab Episcopali officio semotus, a sacerdotali quoque sit omnino seclusus, quousque apostolicae se audientiae repraesentet, paratus eam cautionem facere, quam vestra Ecclesiae cognoverimus expedire. Ab Episcopali vero officio eum segregamus, quia simoniace invasit Ecclesiam; sacerdotali quoque eum idcirco privamus, quoniam sub specie sanctitatis visus est eam dilaniare atque confundere. Et quia tanta ma-

Herimannus Episcopus iudicio Sedis Apostolicae se subtrahit.

Et Ecclesiam tyrannide occupat.

Quare anathematizatur & sacerdotali quoque privato officio: quousque Apost. Sedi se praesentet.

E

la con-

la contra Ecclesiam quomodo olim sibi commissam exercere non timuit, anathematis eum vinculo innodamus, quousque supradicto modo se apostolicae auctoritatis representet; nisi forte in extremis ductus dignam penitentiam accipiat, eo tamen tenore, ut si convaluerit, simili modo (ut dictum est) se Apostolicae Sedi representare festinet. Eodem quoque anathemate percutimus eos, qui ab initio promotionis ejusdem aliqua praedia Ecclesiae ab eo acceperunt, ut sibi faverent ad ejus malitiam contuendam, permaxime illos, qui postquam se Apostolicae Sedis judicio subtraxit, ab eo aliquid in praediis vel in thesauris Ecclesiae acceperunt ad conservandum eum, ut in sua pertinacia perseveret, nisi respuerint, videlicet ut condigna satisfactione, quod praedicto sacrilegio peccaverunt, emendent, nobisque suam penitentiam reserare festinent. Dat. Laureti XIII. Kal. Augusti Indictione Decimatertia.

Item sententia excommunicacionis in eos, qui ab illo aliqua praedia acceperunt, ut ei faverent.

Dat. die 10. Julii anno Domini 1075. Pontif. anno III.

XVIII.

Deposito Ottonis Constantiensis Episcopi, & Cleri Populique absolutio ab obedientia ei praestanda.

Ex Vita Gregorii VII. Lapud Bullarium ad d. 25. Maii cap. IV.

Gregorius Episcopus Servus Servorum Dei, Clericis & Laicis majoribus & minoribus in Constantiensi Episcopatu consistentibus, christianam legem diligentibus, salutem & apostolicam benedictionem.

Admonitiones praeviae Episcopo factae.

Misimus fratri nostro, Episcopo vestro Ottoni literas exhortatorias, per quas pro nostri necessitate officii apostolica auctoritate injunximus illi, ut simoniacam haeresim de Ecclesia penitus sua excluderet, & castitatem Clericorum studiose praedicandam susciperet, & firmiter tenendam episcopali vigilantia inculcasset. Nam sic eam nobis evangelicę & apostolicę Litterę, authenticarum Synodorum decreta, & eximiorum Doctorum precepta insinuant, ut eam dissimulare & negligere sine magno animę nostrę, & populi Christiani detrimento, non possimus. Sed Episcopus vester, ut nobis relatum est, quę paternę suaveramus, perficere non curavit; & ut non solum inobedientię, verum etiam rebellionis offensam contraheret, quemadmodum accepimus, palam clericis suis justioni nostrę, immo beati Petri, or nino contraria permisit; itaut qui mulierculas habuerant, retinerent; & qui non habebant, illicita temeritate subintroducerent. Quod ut audivimus, moleste ferentes, secundam ei scripsimus epistolam, indignationis ei nostrę motus ostendentes, & idem preceptum iterato acrius inculcantes; tum etiam ipsum ad Synodum Romanam, quę prima proxima quadragesimę hebdomada est, advocavimus, ut pro se rationem reddat, & inobedientię causas, si rationabiles habuerit, in audientiam totius Conventus exponat. Hoc ideo, fratres charissimi, vobis innotescimus, ut animę vestrę saluti consulamus. Si enim beato Petro & sanctę Sedi Apostolicę fronte aperta repugnans & contumax esse voluerit, liquido manifestum est, quod qui matrem vel patrem inhonorat, nullam a fidelibus patris & matris jure obedientiam exi-

Clericorum libido, & simoniaci lares non ferenda.

Ottonis inobedientia, & rebellio.

Iterata admonitiones.

gere aut quarere debeat. Indignum est enim, ut qui magistro detestatur subesse, magister auditoribus postulet praesse. Quapropter omnibus, sicut praediximus, majoribus atque minoribus, Deo, & B. Petro adherentibus, apostolica auctoritate praecipimus, si in obduratione sua persistere voluerit, nullam ei obedientię reverentiam exhibeatis; nec id animę vestrę perniciem esse putetis; nam si, ut toties jam praediximus, preceptis apostolicis voluerit esse contrarius, ab omni illius subjectionis jugo beati Petri auctoritate absolvimus ita universos, ut cum sacramenti obligatione quilibet ei fuerit obstructus, quamdiu Deo omnipotenti, & Sedi Apostolicę rebellis extiterit, nulla ei fidelitatis exhibitione fiat obnoxius. Non enim cuilibet personę contra Creatorem suum, qui cunctis proponendus est, aliquis debet obedire; sed debemus contra Deum superbiens resistere, ut saltem hac necessitate coactus ad viam justitię addiscat redire. Quanti enim periculi, quantaque a christiana lege sit alienationis, obedientiam, maxime Apostolicę Sedi, non exhibere, ex dictis beati Samuelis Propheta potestis cognoscere, quę sanctissimus Papa Gregorius in ult. lib. Moralium procuravit exponere. Ut ea autem sint nobis in promptu, scripta transmisimus: quatenus indubitanter sciatis, nos vobis novam non dicere, sed antiquam sanctorum Patrum doctrinam propalare. Hinc Samuel ait: Melior est obedientia, quam victimę; & avertit magis, quam offerre adipem arietum; quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idolatrię nolle acquiescere; obedientia quippe victimis jure praepunitur, quia per victimas aliena caro, per obedientiam vero propria voluntas mactatur. Tanto igitur quisque Deum citius placat, quanto ante ejus oculos repressa arbitrii sui superbia gladio precepti se immolat. Quo contra ariolandi peccatum inobedientia dicitur, ut, quanta sit virtus obedientię, demonstratur. Ex adverso igitur melius ostenditur, quid de ejus laude sentiat: Si enim ariolandi peccatum est repugnare, & quasi scelus idolatrię nolle acquiescere, sola obedientia est, quę fidei meritum possidet: sine qua quisque convincitur infidelis, et si fidelis esse videatur.

Obedientia ei non praestanda, si contumax extiterit.

Contra Dei superbiens resistendum.

1. Reg. 5.

Quale peccatum sit inobedientia.

XIX.

Deposito, iterataque excommunicatio Henrici Quarti Imperatoris: absolutioque Vassallorum a juramento fidelitatis: & confirmatio electionis Ducis Rodulphi in Regem Theutonicorum.

GREGORIUS PAPA VII. &c.

Beate Petre Apostolorum Princeps, inclina quaesumus pijs aures tuas nobis, & audi me servum tuum, quem ab infantia nutriti, & usque ad hunc diem de manu iniquorum liberasti, qui me pro tua fidelitate oderunt, & odiunt. Tu mihi testis es, & Domina mea Mater Dei, & B. Paulus frater tuus inter omnes Sanctos, quod sancta Romana Ecclesia me invitum ad sua gubernacula traxit, & ego non rapina arbitratus sum ad Sedem tuam ascendere, potiusque volui vitam meam in peregrinatione finire, quam locum tuum

Imploratio divini auxilii.

pro

pro gloria Mundi, seculari ingenio arripere. Et ideo ex tua gratia non ex meis operibus, credo, quod tibi placuit & placet, ut populus christianus tibi specialiter commissus mihi obediat, specialiter pro vice tua mihi commissa, & mihi tua gratia est potestas a Deo data ligandi, atque solvendi in Caelo, & in Terra.

Deposito Henrici Regis.

§.1. Hac itaque fiducia fretus, pro Ecclesię tuę honore & defensione, ex parte omnipotentis Dei Patris, & Filii, & Spiritus sancti, per tuam potestatem & auctoritatem, Henrico Regi filio Henrici Imperatoris, qui contra tuam Ecclesiam inaudita superbia insurrexit, totius Regni Theutonicorum, & Italię gubernacula contradico.

Absolutio vassallorum a juramento fidelitatis.

§.2. Et omnes christianos a vinculo juramenti, quod sibi faciunt, vel fecerunt, absolvo; ut nullus ei sicut Regi serviat, interdico. Dignum est enim, ut qui suadet honorem Ecclesię tuę imminuere, ipse honorem amittat, quem videtur habere.

Excommunicatio ejusdem Henrici Regis.

§.3. Et quia sicut christianus contempnit obedire, nec ad Deum rediit, quem dimisit, participando excommunicatis, meaque monita, quę pro sua salute sibi misi (te teste) spernendo, seque ab Ecclesia tua, tentans eam scindere, separando, vinculo eum anathematis vice tua alligo; & sic eum ex fiducia tua alligo, ut sciant gentes, & comprobent, quia Tu es Petrus, & super tuam petram Filius Dei vivi edificavit Ecclesiam suam, & portę inferi non prevalebunt adversus eam, &c.

Dat. anno Domini 1075. Pontif. anno III.

Actum Anno ab Incarnatione Domini MLXXV. Indictione Tertiadecima.

XX.

De hujusmodi Anathematizatione ad omnes Christianos fideles.

Ex edit. Card. Carafa.

Gregorius Episcopus Servus Servorum Dei omnibus, qui cupiunt se annumerari inter oves, quas Christus beato Petro commisit, salutem & apostolicam benedictionem.

Audistis Fratres novam & inauditam praesumptionem: audistis sceleratam schismaticorum, & nomen Domini in beato Petro blasphemantium garrulitatem, & audaciam: audistis superbiam ad injuriam & contumeliam Sanctę & Apostolicę Sedis elatam, qualem vestri Patres nec viderunt nec audierunt unquam, nec scripturarum series aliquando a paganis vel haereticis docet emerisam; cuius mali, etsi aliquod unquam post fundatam & propagatam fidem Christi praecessisset exemplum, omnibus tamen fidelibus pro tanto contemptu, & conculcatione apostolicę, immo divinę auctoritatis dolendum foret, & gemendum. Quapropter si beato Petro claves Regni Cęlorum a Domino Deo nostro Jesu Christo traditas esse creditis, & vobis per manus ipsius ad aeternę vitę gaudia introitum patere cupitis, cogitandum vobis est, quantum nunc de irrogata sibi injuria dolere debeatis. Nisi enim hic, ubi per discrimina temptationum vestra fides & corda probantur, focii passionum efficiamini, procul dubio non estis digni, ut participes future consolationis, & filii

regni caelestem coronam, & gloriam fortiamini. Rogamus igitur charitatem vestram, ut instanter divinam misericordiam implorare studeatis; quatenus aut corda impiorum ad penitentiam vertat, aut reprimendo eorum nefanda consilia, quam insipientes & stulti sint, qui Petram a Christo fundatam evertere, & divina privilegia violare conantur, ostendat. Qualiter autem, aut pro quibus causis beatus Petrus anathematis vinculo Regem alligaverit, in cartula, quę huic inclusa est, plene potestis cognoscere.

Corinth. II. 1.

XXI.

De Tedaldo, in Mediolanensem Ecclesiam intruso, ad sacros ordines non promovendo.

Gregorius Episcopus Servus Servorum Dei Fratribus, & Episcopis, Coepiscopis Gregorio Vercellensi, Cuniberto Taurinensi, Ingonio Arentensi, Ogerio Iporegiensi, Opizoni Laudensi, & ceteris Suffraganeis sanctę Mediolanensis Ecclesię, obedientibus Apostolicę Sedi, salutem & apostolicam benedictionem.

Ex edit. Card. Carafa.

Notum vobis esse volumus de Tedaldo Mediolanensi Clerico, quem Rex preterquam nobis literis, ac legatorum verbis promiserit, in Mediolanensem Ecclesiam posuit, quod Episcopalem Sedem, ad quam alia prius, quę adhuc superstes est, fuerit assignata persona, non satis ordinate suscepisse videtur. Quod cum per quosdam fideles nostros nostram requireret amicitiam, scripsimus ei, hoc nos multum velle, & cupere, atque eo pacto facillimum convenire posse, si, requisitis Apostolorum liminibus & nostra presentia, causam promotionis suę puram atque probabilem ostendere vellet & posset. Ad quod exequendum amicaliter eum vocavimus, & praefixo sibi termino ad proximam Synodum venturę Quadragesimę, aut, si malit, ante Synodum firmam securitatem veniendi ad nos, & redeundi, ex nostra parte promissimus, & dare parati sumus. Insuper etiam, ne interim aliquem de sacris ordinibus gradum recipiat, apostolica auctoritate ei interdiximus. Quod item & vobis per eam, quam beato Petro Apostolorum Principi debetis obedientiam, & ex nostra, quam per illum licet indigni suscepimus, apostolica auctoritate interdiximus, ut nullus vestrum ad promotionem alicujus ordinis manum ei praesumat imponere, donec oblata nobis sua presentia, quid de introitu ejus judicandum & statuendum sit, sincera, Deo adjuvante, possimus examinatione discernere. Quod quidem cum communi consilio, & conjuncta omnium vestrorum discretione ac judicio, fieri permaxime cupimus, si vel illius Ecclesię cura, vel respectus apostolicę reverentię, aut nostra charitas vos ad hoc negotium convocare poterit. Videte igitur, ne quis vestrum contempto hoc interdictione, ad illius pariter, & sui periculum, manum extendat; quoniam si quis (quod non credimus) in ea praesumptione se occupare proruperit, continuo se a gratia beati Petri, & nostra dilectione, necnon a communione sacri Corporis & Sanguinis Domini, sequestratum esse cognoscat. Verum id agite, ut frater ille, dum

Tedaldus in Ecclesiam ab Henrico Rege intrusus.

Ad limina Apostolorum vocatus ad probandum legitimam suę promotionem.

cum prohibitione tamen recipiendi sacrorum ordinum.

Quem eidem confiteri, cuiuslibet interdictione Episcopo.

Sub anathematis pena.